



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Caroli Magni Capitvlatio De Partibvs Saxoniae

Karl <I., Römisch-Deutsches Reich, Kaiser>

[S.l.], 1663

urn:nbn:de:hbz:466:1-11298



W 11
10

Th. 4940

1. Cruyckrii
Parvini
Agnus Dei

2. Athan. Kircher
De crucibus
prodigiis.


3. Caroli Magni
capitulatio
de partibus
Saxonie.

Ex Legato Celmi Principis Ferdinandi
Epi Paderb: et Monaster.
Anno 1683

I

CAROLI MAGNI
CAPITVLATIO
DE PARTIBVS SAXONIAE.

*Ex antiquissimo MS. Palatino
bibliotheca Vaticana.*



Hæc de partibus Saxonix constituta
sunt.

P R I M V M de maioribus capitulis
hoc placuit omnibus, vt ecclesiæ
Christi, quæ modo construuntur in
Saxonia, & Deo sacratæ sunt, non
minorem habeant honorem, sed ma-
iorem & excellentiorem, quam va-
na habuissent idolorum.

I C A P I T. Si quis confugium
fecerit in ecclesiam, nullus eum de
ecclesia per violentiam expellere
præsumat, sed pacem habeat vsque
dum ad placitum præsentetur; & pro-
pter honorem Dei, sanctorumque ec-
clesiæ ipsius reuerentiam, conceda-
tur ei vita & omnia membra. E men-
det autem causam, in quantum po-

*

tuerit, & ei fuerit iudicatum, & sic ducatur ad præsentiam domini regis, & ipse eum mittat, vbi clementiæ ipsius placuerit.

II. Si quis ecclesiam per violentiam intrauerit, & in ea per vim vel furtum aliquid abstulerit, vel ipsam ecclesiam igne cremauerit, morte moriatur.

III. Si quis sanctum quadragesimale ieiunium pro despectu Christianitatis contempserit, & carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen consideretur a sacerdote, ne forte causa necessitatis hoc cuiuslibet proueniat vt carnem comedat.

IV. Si quis episcopum, aut presbyterum, siue diaconum interfecerit, similiter capite punietur.

V. Si quis a diabolo deceptus crediderit, secundum morem paganorum, virum aliquem aut feminam strigam esse, & homines comedere, & propter hoc ipsam incenderit, vel carnem eius ad comedendum dederit, vel ipsam comederit, capitis sententia punietur.

VI. Si quis corpus defuncti homi-

nis secundum ritum paganorum flamma consumi fecerit, & ossa eius ad cinerem redegerit, capite punietur.

vii. Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, & ad baptismum venire contempserit, paganusque permanere voluerit, morte moriatur.

viii. Si quis hominem diabolo sacrificauerit, & in hostiam more paganorum dæmonibus obtulerit, morte moriatur.

ix. Si quis cum paganis consilium aduersus Christianos inierit, vel cum illis in aduersitate Christianorum perdurare voluerit, morte moriatur: & quicumque hoc idem fraude contra regem, vel gentem Christianorum consenserit, morte moriatur.

x. Si quis domino regi infidelis apparuerit capitali sententia punietur.

xi. Si quis filiam domini sui rapuerit, morte moriatur.

xii. Si quis dominum suum vel dominam suam interfecerit, simili modo punietur.

xiii. Si quis vero pro his mortali-

bus criminibus latenter commissis aliquis sponte ad sacerdotem confugerit, & confessione data agere pœnitentiam voluerit, testimonium sacerdotis de morte excuset.

xiv. De minoribus capitulis conferunt omnes, ad vnāquamque ecclesiam curtē & duos mansos terræ pagenses ad ecclesiam recurrentes condonent: & inter centum viginti homines nobiles & ingenuos, similiter & litos, seruum & ancillam eidem ecclesiæ tribuant.

xv. Et hoc Christo propitio placuit, vt vndecunque census aliquid ad fiscum peruenerit, siue in frido, siue in qualicumque banno, & in omni redibutione ad regem pertinens, decima pars ecclesiis & sacerdotibus reddatur.

xvi. Similiter secundum Dei mandatum præcipimus, vt omnes decimam partem substantiæ & laboris sui ecclesiis & sacerdotibus donent, tam nobiles quam ingenui, similiter & liti: iuxta quod Deus vnicuique dedit Christiano, partem Deo reddant.

xvii. Vt in dominicis diebus con-

uentus & placita publica non faciant, nisi fortè pro magna necessitate, aut hostilitate cogente; sed omnes ad ecclesiam recurrant ad audiendum verbum Dei; & orationibus, vel iustis operibus vacent. similiter & in festiuitatibus præclaris Deo & ecclesiæ conuentui deseruiant, & sæcularia placita dimittant.

xviii. Similiter placuit his decretis inferere, quod omnes infantes infra annum baptizentur. Et hoc statuimus, vt si quis infantem intra circulum anni ad baptismum offerre contempserit, sine consilio vel licentia sacerdotis, si de nobili genere fuerit cxx. sol. fisco componat, si ingenuus lx. si litus xxx.

xix. Si quis prohibitum vel illicitum coniugium sibi sortitus fuerit, si nobilis sol. lx. si ingenuus xxx. si litus xv.

xx. Si quis ad fontes, aut arbores, vel lucos votum fecerit, aut aliquid more gentilium obtulerit, & ad honorem dæmonum comederit, si nobilis fuerit sol. lx. si ingenuus xxx. si litus xv. Si vero non habuerint vnde

præsentialiter persoluant, ad ecclesiæ seruitium donentur, vsque dum ipsi solidi soluuntur.

xxi. Iubemus vt corpora Christianorum Saxonum ad cœmiteria ecclesiæ deferantur, & non ad tumulos paganorum.

xxii. Diuinos & fortilegos ecclesiis & sacerdotibus dare constituimus.

xxiii. De latronibus & malefactoribus, qui de vno comitatu ad alium confugium fecerint, si quis eos receperit in sua potestate, & vii noctibus secum detinuerit, nisi ad præsentandum, nostrum bannum soluat. Similiter si comes eum absconderit, & ad iustitiam faciendam præsentare noluerit, & ad hoc excusare non potest, honorem suum perdat.

xxiv. De pignore, vt nullatenus alterum aliquis pignorare præsumat; & qui hoc fecerit, bannum persoluat.

xxv. Vt nulli hominum contradicere viam ad nos veniendo pro iustitia reclamandi aliquis præsumat: & si aliquis hoc facere conauerit, nostrum bannum persoluat.

xxvi. Si quis homo fideiussorem

inuenire non potuerit, res illius in-
forbanno mittantur, vsque dum fi-
deiuforem praesentet. Si vero super
bannum in domum suam intrare praesumpserit, aut sold. x. aut vnum bo-
uem pro emendatione ipsius banni
componat; & insuper vnde debitor
exstitit, persoluat. Si vero fideiussor
diem statutum non obseruauerit,
tunc ipse tantum damni incurrat,
quantum manus sua fideiussoris exti-
tit. Ille autem qui debitor fideiusso-
ri exstitit, duplum restituat pro eo,
quod fideiuforem in damnum cadere
permisit.

xxvii. De praemiis & muneribus,
vt munera super innocentem nullus
accipiat: & si quis hoc facere praesumpserit, nostrum bannum soluat.
Et si, quod absit, forte comes hoc fe-
cerit, honorem suum perdat.

xxviii. Vt vniuersi comites pacem
& concordiam adinuicem habere
studeant. & si forte inter eos aliqua
discordia aut conturbium ortum fue-
rit, vt nostrum solatium vel perfe-
ctum pro hoc non demittant.

xxix. Si quis comitem interfecerit,

* iiij


vel de eius morte consilium dederit, hereditas illius ad partem regis eueniat, & in ius eius redigatur.

xxx. Dedimus potestatem comitibus bannum mittere infra suo ministerio de faida vel maioribus causis in sold. LX. De minoribus vero causis comitis bannum in sold. XII constitutum.

xxxI. Si cui libet homini sacramentum debet, a frangat illum ad ecclesiam sacramento ad diem statutum: & si iurare contempserit, fidem faciat, & sold. XV componat qui in actiuus apparuit, & deinceps causam pleniter emendare faciat.

xxxII. De periuris secundum legem Saxonum sit.

xxxIII. Interdiximus vt omnes Saxones generaliter conuentus publicos nec faciant, nisi forte missus noster de verbo nostro eos congregare fecerit. Sed vnusquisque comes in suo ministerio placita & iustitias faciat, & hoc a sacerdotibus consideretur, ne aliter faciat.



ALIVD CAPITVLARE.

ANNO ab Incarnatione domini nostri Iesu Christi DCCXCVII. & XXX ac XXII, regnante domno Carolo præcellentissimo rege, conuenientibus in vnum Aquis palatio in eius obsequio venerabilibus episcopis & abbatibus, seu illustris viris comitibus v. kal. Nouemb. simulque congregatis Saxonibus de diuersis pagis tam de Westfalhis & Angrariis, quam & de Oostfalhis, omnes vnanimiter consenserunt & aptificauerunt, vt de illis capitulis, pro quibus Franci, si regis bannum transgressi sunt, solidos LX componunt, similiter Saxones soluent, si alicubi contra ipsos bannos fecerint.

HÆC SVNT CAPITVLA.

I CAPIT. Vt ecclesiæ, viduæ, orfani, & minus potentes iustam & quietam pacem habeant; & vt raptum, & fortiam, nec incendium infra patriam quis facere audeat præsumptiue, & de exercitu nullus super bannum domini regis remanere præsumat.

II. Si quis supradicta VIII capitula transgressus fuerit, omnes statuerunt, & aptificauerunt, vt Saxones similiter sicut & Franci LX sol. componant.

III. Item placuit omnibus Saxonibus, vt vbicunque Franci secundum legem sol. XII soluere debent, ibi nobiliores Saxones sol. XII. ingenui v. liti IV componant.

IV. Hoc etiam statuerunt, vt qualiscumque causa infra patriam cum propriis vicinantibus pacificata fuerit, ibi solito more ipsi pagenses sol. XII pro districtione recipiant, & pro Wargilda, quæ iuxta consuetudinem eorum solebant facere, hoc concessum habeant. Si autem in præsentia missorum regalium causæ definitæ fuerint, pro iam dicta Wargilda suprascriptos sol. XII ipsis pagenses habeant concessos: & pro hoc quia missus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios XII sol. inde recipiat ad partem regis. Si autem ipsa causa ad palatium in præsentia regis ad definiendum fuerit perducta, tunc vtrique solidi XII. id est pro Wargilda, & quod vicinis debuit componere, eo

quod infra patriam definita ratio non fuerit, ad partem regis faciant componere, quod sint solidi xxiv. Nam si fuerit aliquis qui in patria, iuxta quod sui conuicini iudicauerint, seque pacificare noluerit, & ad palatium pro huius rei causa venerit, & ibi ei fuerit iudicatum quod iustum iudicium iudicassent, in prima vice, vt supra dictum est, sol. xxiv. ad partem regis componat. Et si tunc inde rediens se pacificare & iustitiam facere renuerit, & iterum pro ista causa ad palatium fuerit conuocatus & deiudicatus, bis xxiv. solidos componat. Si vero necdum correptus tertia vice pro eadem re ad palatium remeauerit, triplam compositionem exinde faciat ad partem regis.

v. Si quis de nobilioribus ad placitum manitus venire contempserit, sol. iv componat, ingenui ii. liti i.

vi. De presbyteris statuerunt, quod si aliquid eis aut eorum hominibus quis contrarium facere aut tollere præsumpserit contra iustitiam, omnia in duplum restituat ei & componat.

VII. De missis regis statuerunt, vt si ab eis aliquis interfectus euenerit, in triplum eum componere debeat qui hoc facere præsumpserit. Similiter quidquid aut eorum omnibus factum fuerit, omnia tripliciter faciant restaurare, & secundum eorum euua componere.

VIII. De incendio conuenit, quod nullus infra patriam præsumat facere propter iram aut inimicitiam, aut qualibet maleuola cupiditate: excepto si talis fuerit rebellis, qui iustitiam facere noluerit, & aliter districtus esse non poterit, & ad nos, vt in præsentia nostra iustitiam reddat, venire despexerit, condicto commune placito simul ipsi pagenses ueniant, & si vnanimiter consenserint, pro districtione illius casa incendatur: tunc de ipso placito commune consilio factò secundum eorum euua fiat peractum, & non pro qualibet iracundia aut maleuola intentione, nisi pro districtione nostra. Si aliter facere ausus fuerit, sicut superius dictum est, sol. LX. componat.

IX. Item placuit vt quandoqui-

dem voluerit dominus Rex propter pacem & propter faidam, & propter maiores causas bannum fortio- rem statuere, vna cum consensu Franco- rum & fidelium Saxonum, secun- dum quod ei placuerit, iuxta quod causa exigit, & oportunitas fuerit, sold. lx multiplicare in duplum, & fol. c. siue vsque ad mille componere faciat, qui eius mandatum transgres- sus fuerit.

x. De malefactoribus, qui vitæ periculum secundum euua Saxonum incurrere debent, placuit omnibus, vt qualiscunque ex ipsis ad regiam potestatem confugium fecerit, aut in illius sit potestate vtrum interfi- ciendum illis reddat, aut vna cum consensu eorum habeat licentiam ip- sum malefactorem cum vxore & fa- milia & omnia sua foris patriam infra sua regna, aut in marca, vbi sua fue- rit voluntas, collocare, & habeant ipsum quasi mortuum.

xi. Illud notandum est quales de- bent solidi esse Saxonum: id est, bo- uem annoticum vtriusque sexus au- ctumnali tempore sicut in stabulum

mittitur pro vno solido: similiter & vnum tempus quando de stabulo exiit, & deinceps quantum ætatem auxerit, tantum in pretio crescat. De annona vero bortrinis pro sol. 1. scapilos XL donant, & de figale xx. septentrionales autem pro solido scapilos xxx dent, & figale xv. Mel vero pro solido bortrensi figlæ 1 & medio donant: septentrionales autem duos ficlos de melle pro 1. solido donent. Item hordeum mundum sicut & figale pro 1. solido donent. In argento XII denarios solidum faciant; & in aliis speciebus ad istud pretium omnes æstimationes compositionis sunt.

EXPLICIT CAPITVLARE SAXONVM.

In alio vetusto MS. Palat. subiungitur concilio Listinensi anni DCCXLIII. abrenuntiatio diaboli operumque eius, & breuis professio fidei, veteri lingua Theotisca, cum indiculo superstitionum, a quibus populum episcoporum sollicitudine reuocandum synodus illa statuit, parte 1. can. 5. quo vix vllum antiquitatis Germanicæ monumentum vetustius extat: annos enim superat DCCCC.

FORSACHISTV diobolae? Et resp. Ec forsacho diobolae. End allum diobol gelde? Resp. End ec forsacho allum diobol gelde. End allum dioboles wercum? Resp. End ec forsacho allum dioboles wercum vnd vuordum; thuna eren de vuoden end saxnote; ende allem them vnholdum, the hira genotas sint. *Professio fidei.*

Gelobistu in got almehtigan fadaer? Resp. Ec gelobo in got almehtigan fadaer. Gelobistu in Crist godes suno? Resp. Ec gelobo in Crist gotes suno. Gelobistu in halogan gast? Resp. Ec gelobo in halogan gast.

Indiculus superstitionum & paganiarum.

De sacrilegio ad sepulcra mortuorum

De sacrilegio super defunctos, i. e. Dad.

De spurcalibus in Febr. (sifas.

De casulis, id est, fanis.

De sacrilegiis per ecclesias.

De sacris filuarū, quæ Nimidas vocāt.

De his quæ faciunt super petras.

De sacris Mercurii vel Iouis.

De sacrificio quod fit alicui sanctorū.


De phylacteriis & ligaturis.


De fontibus sacrificiorum.


De incantationibus.


- De auguriis, vel auium vel equorum
 vel bouum stercore, vel sternutatio-
 De diuinis vel sortilegis. (ne
 De igne fricato de ligno, i.e. Nodfyr.
 De cerebro animalium.
 De obseruatione pagana in foco, vel
 in inchoatione rei alicuius.
 De incertis locis quæ colūt pro sacris
 De petédo quod boni vocāt S. Mariæ.
 De feriis quæ faciūt Ioui vel Mercurio.
 De Lunæ defectiōe; quod dicunt
 Vinceluna.
 De tempestatibus, & cornibus, & co-
 De fulcis circa villas. (cleis.
 De pagano cursu, quem Yrias nomi-
 nant, scissis pannis vel calceis.
 De eo quod sibi sanctos fingunt quos-
 libet mortuos.
 De simulacro de consparsa farina.
 De simulacris de pannis factis.
 De simulacro quod per cāpos portāt.
 De ligneis pedibus vel manibus pa-
 gano ritu.
 De eo quod credunt quia feminæ lu-
 nam cōmendent, quod possint cor-
 da hominum tollere iuxta paganos.

FINIS.









de
Captif
in re
pascha
li ex
Amo

Th
4940